


lares vel duo arcus se mutuò apprehendentes spacium comprehendant. Sermo enim hic est de Triangulis, quales sunt figuræ duæ appositæ ABC , quæ singulæ lateribus AB , BC , CA , comprehenduntur.



Partes Trianguli cujusvis sunt sex : tria Latera & tres Anguli.

Sic Figuræ priores, præter latera prius recensita, habent etiam tres Angulos, nimirum angulum BAC , qui à lateribus AB & AC includitur, vel utriq; adjacet; Angulum ABC , quem latera AB & BC ; & deniq; Angulum ACB , quem latera AC & BC ambiunt.

Notetur hic obiter etiam, nos, more Mathematicis usitato, in sequentibus Punctum aliquod unicâ literâ; Latus vel lineam duabus, quarum sc. una ejus initio, altera fini sit adscripta; Angulum deniq; tribus definituros, quarum una fit in concursu utriusq; lineæ Angulum constituentis, sive in communi initio utriusq;, reliquæ duæ in utriusq; fine. Ut cum dico, Angulum BAC fieri concursu laterum AB & AC , in communi concursus puncto A . Monendi itaq; in principio Lectores, ne Angulor. & Laterum conjunctas, vel potius conjungendas, literas, commatibus aut punctis interstinguant.

Triangulum verò omne est vel Planum vel Sphæricum.

Ratione nimirum subjecti, in quo aut concipiuntur à mente humanâ, aut à naturâ ipsâ depinguntur.

Triangulum Planum est, quod in Plano aliquo describitur.

Talia Triangula sunt, quæ in Altitudinum & Distantiarum mensu-